

Heinrich Isselburg


**De Pulchritudine vera & salute ecclesiarum ac rerumpublicarum omniumq[ue]
humanae vitae ordinum, Charitate Christiana, Oratio**

Bremae, [1616]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn80545280X>

Druck Freier  Zugang





Sm - 4221.



D E
Pulchritudine verâ
& salute ecclesiarum ac rerum-
publicarum omniumq; hu-
manæ vitæ ordinum,


CHARITATE
CHRISTIANA,

Oratio,

HABITA IN PANEGYRI
publicæ scholæ Bremensis, anno
MDCXVI. Mense
Februar.


A B

HENRICO ISSELBURGIO,
S. Theolog. Doctore, &
professore.



DE
Pulchritudine vers
et laudibus actuum
pudicorum omnium; hu-
manis vultu ordinum


CHARITATE
CHRISTIANA



HABITATIONE
Academiae
Rostochensis
Publicae

HENRICO JASELBERGIO
S. Theologiae Doctore &
Professore.

1700



AMPLISSIMO

consultissimoq; viro,

Dn. ARPOLDO SCHULTETO,
illustris ac generosi domini, domini ANTONII
GUNTHERI, comitis Oldenburgi & Del-

menhorstæ &c. consiliario

ex primariis

S.P.

Non sine causa, vir omni virtutum ge-
nere nobilissime & prestantissime, ex-
clamavit vir pius; O Dñe, in quæ
tempora nos reservasti! & testatur scriptu-
ra s., confirmat experientia, hæc esse tempora
novissima, tempora pessima. exulat enim pieta-
tis studium passim, & omnia ruunt in deterius.
Desiit, inquit psaltes, beneficus. nam defece-
runt veraces ex filiis hominum, vanum lo-
quuntur alter cum altero, duplici corde lo-
quuntur: & apostolus, Illud scito, fore ut ex-
tremis diebus instent tēpora molesta. erunt
enim homines sui amantes, avari, gloriosi,
superbi, maledici, habentes formam pieta-
tis, sed qui vim ejus abnegatint. Merito ita-
que quarantur remedia. varia suggerit caro; et
nihil non tribuunt sibi filii hujus sæculi. Qui re-
etiùs judicant, prestantissimum fulcrum eccle-
siarum & rerum publicarū non gravatim sta-
tuunt mecū charitatis & pacis Christianæ stu-
diū. O cara pax, inquit Nazianzenus, scriptor

A a gravissim

*gravissimus, dulcis & res & appellatio! que
 si absit, quid in ecclesiâ, politiâ & re domesticâ
 manebit saluum? Hoc argumentû pleniustrat
 Etavi oratione, quâ ex more in schola nostra in
 ter professores recepto pro meâ tenuitate habui:
 eamq; porro ex consilio virorum doctorum atq;
 amicorum typographicis literis descriptâ publi
 ci juris feci. equide non sum nescius, alios viros
 præstâtissimos de hoc argumento prolixè & do
 ctius scripsisse, at spero, bonis non fore ingrati, si
 cognoscant etiam, quæ sint hic nostra studia.*

*Ceterum nomini tuo, vir præstantissime &
 consultissime, hanc qualemcumq; oratiunculâ
 inscribere volui: quia scholam nostram, ejusq;
 rectorem dn. Matthiam Martinû, virum in
 ter doctores ecclesia laude dignissimum, cete
 rosq; antistites, viros reverendos & clarissimos,
 singulari amore prosequeris, mihi etiâ licet im
 merenti, probasti favorem non vulgarem. Ac
 cipe itaq; hoc levidense reciproca dilectionis et
 observantia mea testimoniû, ac vestros pios co
 natus sanctis tuis precib; & Christiana benevo
 lentiâ promove. Christus Jesus E. T. diu incol
 lumem servet, atque omni benedictionû genere
 locupletet. Scripsi Bremæ in feriis paschali
 bus, an. MDCXVI.*

T. amplit. & præstantiæ

studiofississimus

HENRICUS ISSELBURG.
 S. Th. D.



3
Assistente Dei gratiâ, in Christo, viri
amplissimi, consultissimi, Reveren-
di, clarissimi, prudentissimi, doctis-
simi, humanissimi, tuque studiosa juven-
tus ornatissima, dicturus *de charitate Christi-
ana*; atq; ita planam & tutissimam *viam
monstraturus, quâ ecclesia & respub. pacem in
Domino persequi, omniumq; ordinum homi-
nes placide & quiete vitam transigere possint;*
longiore mei excusatione super-
re deo, tectus
vestrâ, quæ non tantum aliis sapius, verum
etiam mihi aliàs affulsit, humanitate: & ut
quis auribus atq; animis me de virtute nun-
quam satis laudatâ sine omni verborum ma-
gnificentiâ dicentem audiatis, obnixè rogo.

Non autem constitui prolixius disserere
de iis rebus orantibus, quas in hac virtute
admiramur, quæq; in lectione bonorum
auctorum occurrunt (hoc enim infinitam
propè futurum esset) sed tantum eorû sum-
mam quam brevissimè perstringam, ut ex
iis ad optatissima charitatis exercitia magis
ac magis nos comparemus: quibus certè vix
quidquam rarius f. in hæc ætas nostra; adeo
ut verè ei competat, quod Plurarchus de
suâ conqueritur, *Ego, inquit, nostrâ video
tempestate fraternum amorem ita rarum esse.*

in fraternam odiū apud veteres: cuius quidem
manifesta exemplū in tragœdiis ac theatris e-
dita sunt, propterea q̄ admirabile putabatur.

Equidem complures iure optare pote-
runt alium maturioris iudicii, qui de hoc
præstantissimo ecclesiarum & rerum publ.
fulcro in hoc celebri conventu verba face-
ret: & scio, Aulum Albinum reprehensum
esse à Catone censorio, quod deprecari
potius culpā, quam eā vacare vellet, quum
sibi, qui Romanus historiam Græcè scribe-
ret, ignosci peteret, si in lingua alienā de-
linqueret: at quia venerandi collegii nostri
partim auctoritas partim benivolentia hęc
dicendi necessitatem mihi imposuit, non
dubito, quin ingenii mei inbecillitas huma-
nitatem vestram patronam inventura sit;
quum verò etiam Catonis ratio, eos excu-
sans, qui compulsi peccant, spem mihi facit
venię à vobis impetrandę: id quod & ipsi
de qua agam, charitati conveniens fuerit.

Cæterum non sine causa monet Tullius
omnem, quæ à ratione suscipitur de re ali-
qua, institutionē à definitione debere pro-
ficisci. itaq; optimæ methodi vestigiis insi-
stamus, & principio videamus, quid sit id,
de quo sermonem habituri sumus.

Amare quid sit, meliùs quisq; sentit,
quàm à quo piã explicari possit. Secundum
Aristotelem φιλέειν ἐστὶ βέλτιον ἢ πρὶ ἀσπίτου ἔργου, καὶ

23

¶ *Subiungit magister inay rēon.* Nobis Charitas est virtus à Spiritu s. cordibus nostris infusa, quā erga Deum & proximum ita affimur, ut toti in illos feramur, ut eis uniamur, & Deo obsequium in omnibus præstemus, aliorumq; hominum salutem nobis perinde ac nostram commendatam habeamus. Cujus virtutis amplitudinem, dignitatem, utilitatē quis voce exprimere? quis, quæso, mentē concipere valeat? .006797

¶ Auctorem, quod rectē *Bernhard* in tract. de diligendo Deo, habet Deum, fontem bonorum omnium. Unde. n. vita nostra? unde salus mundi? Respondet Christus, quod sic Deus dilexerit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut, quisquis credit in eū, non pereat, sed habeat vitam æternam. Unde, est, quod idem ille mundū adeo patet & benignè sustentat, ac bonis cumulat: quæ cælitus dat pluvias & tempora fructifera; implet cibo & lætitiā mortalium corda; unde, quod summā atque incredibili patientiā quotidianas nostras & gravissimas fert injurias, & verè divinā *paenitentiam* nostrā poenitentiam expectat, atque ad eam deducit? quid, quæso, expers divini amoris?

¶ Hinc in factis comparatur Deus modò matris liberos amanti, & variis passionib. affectæ; modò gallinæ pullos suos foventi;

A 4 modò

modò pãstori oves suas amanti, & ubique
 locorum quarenti; modò patri, qui filiorũ
 miseras doleat, aliisquẽ innumeris rebus a-
 liquid sincerẽ amantibus Deus confertur,
 hinc non tam amans, quàm amor & chari-
 tas ipsa nominatur. Idem hic est, per cuius
 spiritum charitas est diffusa in cordibus no-
 stris; ab hoc sunt hujus dulcissimæ virtutis
 initium & incrementa.

Quid verò eo, quod ex hujusmodi cau-
 sã profectum est, melius? quid dignius? quid
 magis divinum? Testantur hoc quęcunquẽ
 ab illo procedunt effecta, clamat Scriptura,
 nec infitiatur natura ipsa, licet corrupta, p-
 bat experientia, omnibus ad vivum demõ-
 strat hæc ipsa, de qua in præsentia agimus,
 verè divina charitas.

Quis namquẽ ad eò omnium rerum est
 ignarus, qui, quantas ea vires habeat, haud
 animadvertat? Quid enim boni sentiri vel
 cogitari potest, in quo illæ non appareant
 meridianã luce clariùs?

Nihil est magis naturæ conveniens, nihil
 divino cultui humanæquẽ societati accom-
 modatius. Nam, si nostrum unumquemq;
 intueamur, videbimus naturam in ipso cor-
 pore plurima necessariorum membrorum
 bina & fraterna excogitasse, ut manus, pe-
 des, oculos, aures, nares: quo docuit, hæc o-
 mnia

omnia salutis ac cooperationis communis,
non disidii ac pugnæ gratiâ, ita se constitu-
isse: ipsasque manus in multos & inæquales
digitos dispersentem, eas omnium instru-
mentorum aptissima exhibuisse & artifici-
osissima. Eadem ratione, ait Plutarchus, ab
uno semine, unoque principio fratres complures
existisse, non ad disidium & contrarietatem,
sed ut separatim existentes amice magis in vi-
eam cooperentur.

Quid verò melius homini à Deo datū?
divitias alii præponunt, bonam alii valetu-
dinem, alii potentiam, alii honores, multi e-
tiam voluptates: quod extremum belluarū
nō hominum est, reliqua autem caduca, &
in fortunæ temeritate posita. Charitate au-
tem quid est dulcius? quid utilius? quid
constans, quid perpetuum magis? nihil non
bonum & salutare continet; quoquo te
verteris, præsto est: nullo loco excluditur,
nullo unquam tempore intempestiva, non
aquâ, non igni (ut ajunt) pluribus locis o-
pus est.

Principio charitas Deo nos conjungit:
quo quid magis optari potest? in eo nos si-
stit atque confirmat. quamobrem non sine
causâ Christus summam omnium manda-
torum dixit charitatem, omnemque, qui
diligit, ex Deo esse genitum asseruit.

Qui

Quis verò potest esse vita vitalis, quæ in
 mutuâ charitatè non conquiescat? quæ
 magis necessariû ad humanæ societatis (cui
 nati unus omnes) conservationem? Cha-
 ritaris beneficio placidè & compositè inter
 se degunt omnes: non inflantur fastu, ut ali-
 os despiciant sibi que solis placeant; non ex-
 sultant ostentatione ineptâ; non cumultu-
 antur: sed, præteritâ sui ratione, de proximis
 quisque sollicitus est, eos amat, & curat. Nâ,
 quemadmodû nullû corporis nostri mem-
 brium suam facultatè sibi habet, nec in pri-
 vatum usum applicat, sed ad socia membra
 transfundit, adeòque nullam inde capit uti-
 litatem, nisi quæ ex communi totius cor-
 poris procedit commoditatè: ita charitas,
 quisque potest, proximo potest: si quam
 præstantiam virtutis, ingenii, cõditionis, &
 opum sit consecuta, lubens eam impertit
 communicatque cum cæteris: nihil quærit,
 nihil appetit, nihil optat amplius, quàm
 communem omnium ædificationem ac sa-
 lutem, sensu enim & experienciâ discimus,
 quòd amor transformet amantem in perso-
 nam amatum, & illius animum cum animo
 hujus ita conjungat, ut ubi verè dicatur esse
 animus amantis, ubi est ejus amor. Unde est
 & *sympliciter*, quâ nō minùs amans sentit do-
 lores & incommoda amati, quàm amatus
 ipse:

ipse; & contra, nō minūſ ille, capit voluptatis & lætitiæ ex commodis hujus, quā cui hæc contingunt.

Ad hæc (quæ præstantissimorum bonorum scaturigo est) charitas non ita subito ex candescit, non facile incitatur ad contentiones & certamina; sed proximi potiùs oneribus humeros supponit; non est suspitax, neque ut inimicis, inferendis delectatur, neque credit oblati; sed bene & candidè sentit de omnibus; ne sinistra quenkūq; gravet suspitione; si quid alicubi erratum (quod à nullo mortalium est alienum) benignè & humaniter id condonat: unde fit, ut, sepulcris ultro citroque vitis; alter alterius honorem salvum cupiat & incolumem. Quo quid excogitari potest melius? nam quem reperies usquam, qui nunquam impingat? Veniam itaque petere necesse habent omnes, nec ullus est, qui sibi non parcere cupiat? quid verò, si innumera mala oblivione non sepeliret charitas?

Charitatis beneficio fit, ut cum quocunque mortaliū vivamus justè, sanctè, sobriè. Cæteræ res, quæ expetuntur, opportune sunt singulæ rebus ferè singulis; charitas omnia continet: quam si ex natura exemeris, nullū imperiū, nulla urbs, nulla domus stare poterit; charitate sublata, omnis est è vitâ sublata jucunditas.

Nam,

Nam, quemadmodū in eodem corpore, quæ eādē naturā eodemq; alimento participant, humida & sicca, frigida & calida, si concordent ac consonent, optimam iucundissimamq; generant temperiem atque harmoniam (sine quā neque divitiarū, neque vel regii principatus, quem divinum homines existimant, ullam esse judicamus vel utilitatem, vel gratiam) si verò plura habendi cupiditate & seditione inter se confligentur, turpissimè perdunt confunduntq; animal; ita ex charitate hominumque concordia & ecclesie & reipubl. & genus & domus valent ac florēt: omnes in ita apprimè consonantis chori contrarium nec dicunt, nec faciunt, neque sentiunt.

O carum charitatis nomen! ó tutissimū principum, subditorum, familiarum, totius denique humanæ societatis omniumque bonorum præsidium!

Quocirca non sine causâ apostolus eum erga totum mundum suo officio defunctū, inò legem implevisse affirmat, qui proximum diligit: & alibi charitatem dicit operum nostrorum regulam unicamque in reſto donorum Dei usu moderatricem: nihil namque sine eâ Deo probari potest, quamlibet hominum opinione splendidissimā. Species enim virtutum absque illâ est fucus, & vanus crepitus.

Esto

Esto itaque, antequam alios honore, potentiâ, cæterisque hujus mundi dotibus; polliceamus multarum rerum cognitione ac scientiâ; loquamur linguis hominum & angelorum: *charitatem si non habeamus*, teste Paulo I. Cor. 13. 1. & seq. *facti sumus es resonans, aut cymbalum tinniens, campanula tinnitum auribus in amœnum ingerens. imò si habeam prophetiam noverimq; mysteria omnia, omneq; cognitionem, & si habeam totam fidem (miraculorum, intellige, vel signorû) adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum: deniq; licet insumam alendis egenis, quæcumq; mihi suppetunt, & si corpus meum tradam, ut comburam: charitatem autem non habeam, quid prodest? nihil. Caritas patiens est, benignè agit, charitas non invidet, haud agit perperam, nequaquam inflatur, non agit indecore, non querit sua, non exacerbat, non cogitat malum, non gaudet injustitiâ: sed veritati gratulatur: omnia tegit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

En, hac quid proferre poteris præstanti? quid divinâ virtute hac dignius? Rectè Chrysoströmus: *Omnium, hæc inquit, bonorum est causa, anni versa philosophiæ radix, turris fortissima, mala omnia repellens.* Et sanè, qui hujus fuerit circûseptus præfidiis, is demum ratione novit uti atque oratione prudenter; agere scit, quicquid agit, considera-

§. 1. §. 2. §. 3. §. 4. §. 5. §. 6. §. 7. §. 8. §. 9. §. 10. §. 11. §. 12. §. 13. §. 14. §. 15. §. 16. §. 17. §. 18. §. 19. §. 20. §. 21. §. 22. §. 23. §. 24. §. 25. §. 26. §. 27. §. 28. §. 29. §. 30. §. 31. §. 32. §. 33. §. 34. §. 35. §. 36. §. 37. §. 38. §. 39. §. 40. §. 41. §. 42. §. 43. §. 44. §. 45. §. 46. §. 47. §. 48. §. 49. §. 50. §. 51. §. 52. §. 53. §. 54. §. 55. §. 56. §. 57. §. 58. §. 59. §. 60. §. 61. §. 62. §. 63. §. 64. §. 65. §. 66. §. 67. §. 68. §. 69. §. 70. §. 71. §. 72. §. 73. §. 74. §. 75. §. 76. §. 77. §. 78. §. 79. §. 80. §. 81. §. 82. §. 83. §. 84. §. 85. §. 86. §. 87. §. 88. §. 89. §. 90. §. 91. §. 92. §. 93. §. 94. §. 95. §. 96. §. 97. §. 98. §. 99. §. 100.

tè: omniq̄ue in re quid sit verum, videre & aperi.

Hoc decorum movet approbationē eorum, quibus cum vivitur ordine, constantiā, morum suavitate, & dictorum factorumq; moderatione appetitus namq; omnes contrahit, excitatq̄ue animadversionem & diligentiam, ut ne quid remere aut fortuito, ne quid inconsideratè negligentève agatur; nihil etiam hīc fictum, nihil simulatū. Quū verò ita amicè, mansuetè, justè, moderatè aliquid factum aut audimus aut legimus, quo quæso studio incendimur! quibus laudibus id effecimus! quā benevolentiam complectimur!

Charitate qui sunt muniti, eos non tantum cum summis viris cōparamus, sed Deo simillimos judicamus. illi celebrantur omnium literis atque linguis: nulla unquam ætas de ipsorum laudibus contitescit. O præclaram charitatem! Solem verò è mundo tollere videntur, qui eam è vitā tollunt, quā nihil habemus melius, nihil jucundius.

Id si minus intelligitur, quanta vis Christianæ charitatis sit, ex disensionibus atque ex discordiis percipi potest. quid enim tam stabile, quid adeò firmum est, quod non odiis atque disidiis everti possit funditus? quid rixis ac contentionibus perniciosius? quid à Deo, bonis, omnibus, nostraque ipsorum salute alienum magis?

Ex multis pauca excerpam. Qui iræ, contentionibus, aliisve disidiis indulgent, se, suos & reliquos omnes, quibus amicè, honestè, ac modestè uti & frui debèt, extremo odio prosequuntur: nocent ecclesiis, scholis, rebus publicis, familiis, omni denique, quod homini contingere potest, bono aduersantur. Quod enim majus excogitari potest odiũ, quàm Deo & unica salutis viã, Christo Jesu, se orbare? Qui verò fratrem proximũ uel suum non diligit, Deum à se ipso diuellit, veritate teste; *Qui non diligit, inquit Johannes epist. i. c. 4., Deum non norit; quia Deus est charitas.* Deus namque in hominibus sese nobis offert, qui insculptã gerunt ejus imaginem, exigitque ut illis officia nostra (si quæ sunt) præstemus, quibus ipse non indiget. Quàm inanis est ergo atq. insolens in commemorandâ Dei dilectione ostentatio ejus, qui proximũ securè negligit!

An mediocriter puras affectos esse posse parentes, si filii dissideant, se mutuo oderint, in opetibus actionibusve sibi aduersentur, mutuoque sese bello prosequantur? Nullus unquam, *inquit Plutarchus,* existit parens, qui ita eloquẽtiẽ ualidã amator, nullus unquam ita ambitiosus neque avarus, ut liberorum amans, quare filios neque dices neque ditescentes, neque magistra-

tu fungentes ita lubenter videt, sicut inter se amantes. Xerxes igitur, quum sensisset Ochum fratribus struxisse insidias, præ animi mœrore dicitur esse mortuus: nam quum fratrum bella sæva sint, ipsis parentibus, & rectè Eutipides ait, exsistunt sævissima. Qui enim fratrem suum odit graviterque fœt, non potest non reprehendere parientem. Hinc Gyzicenam illam regis Eumenis, aliorumque trium Attali, Philetæri & Athenæi matrem sese beatam prædicasse ferunt, semperque diis gratias egisse, non propter divitias (quod vulgo hominum est in more positum) neque propter regiam potestatem, sed quod tres viderit filios maximum natu, satellitum more, stipantes, illumque inter eos hastas atque gladios gestantes intrepidè viventem. Quod si itaque fratres sese invicem amant ac colunt, ut jucundum ac beatum pariant sehecturis paternæ altorem: quàm indignum erit Deo id denegare, quod mortali parenti, sine summo scelere, detrahi nequit? ô scelus! Fratrem amas, ut tuum erga parentes testeris amorem: proximum verò odisti, lædis, contemnis, rejicis, ut Deum in colædas, spernas, & tuis injuriis violes. neque enim à fratribus disfidere potes, quin simul à Deo dissideas: Christus à te diligi nequit, quin diligatur in fratribus.

Deinde

Deinde, quum fraterna charitas, sicuti ex Dei amore manat, ita est unica, certa, & vera illius approbatio; quod bonæ conscientiae testimonium (quò nihil preciosius) potest esse reliquum illis, qui spirant rixas, contentiones, odia? Quâ ratione instigabuntur ad quærendum Deum salutis fontem, qui neque ipsum neque se vel sua recognoscunt? Equidem de voluntate divinâ nihil illis occurrit; sua verò ut agnoscant, tantùm abest, ut sibi summâ videantur ornati integritate, justitiâ, sanctitate, nihil nisi sua laudent, licet manifestis argumentis in justitiæ, fœditatis, stultitiæ & impuritatis suæ convicti sint propriæ conscientiae testimonio. Quo autem animo preces concipient, Deo divinisq; orati promissionibus? quomodo communicabunt Dei verbo & sacramentis? quæ cum ad vitæ sanctimoniam, tum verò ad charitatem ac sinceram pacem nos vocant. Egregia odii contentionumque præmia!

Ad hæc, quod in illis cernes pietatis ac virtutum studium? ut probent quæ sit voluntas Dei bona, placita & perfecta, & existant corpota sua hostiam vivam, sanctam, acceptam Domino? quid est conformari huic mundo nisi hoc sit? Rectè *Tullius*, Mihi, *inquit*, sentio bonam mētem iracundiâ ablatam. & certè num animus, num

B

ma-

manus affecta est rectè? quū in tumore est?

O pestilentissimum fidei ac pietatis obstaculum! ô miserum, odia qui alit, auctori suo pessima! nam, præterquam quòd ridiculum se præbeat omnibus, quum spumas agit in ore, & ardent oculi &, sicuti ait ille,

Ora tument irâ; nigrescunt sanguine vena;

Lumina Gorgoneo se vius igne micant.

quem, quæso, sibi conciliare potest honorū virorum favorem? ad quos tendit honorū gradus? quam sibi parit apud bonos fidem, auctoritatem, dignitatem? Omitto (quod ostendunt lites forenses) quòd sæpissime exhauriat sua, aded ut omnibus spoliatus, & ad summam paupertatem redactus, alius prorsus à priore videatur factus, hoc uno tantum pmanserit idem, quòd alios oderit.

Sibi ipsi quâ ratione cõsulant, odio qui dediti sunt, paucis exposui: nihilo melius prospiciunt suis; quia hi nihil audiunt præter rixas, calumnias, diras execrationes, insidias, & id genus abominanda, nec quidquam aliud ex paterno exemplari, quàm inveterata assumunt odia, quibus & se & sua perdunt omnia. En familiarum, licèt clarissimarum, ruinam.

Ad ecclesias scholas republ. accedamus; Equidem quicquid in iis bonum, charitas sibi tribuit meritò. quid verò tam firmum, quid adeo salutare quod odia non evertant
& de-

& destruant? Neminem nostrū later, quan-
to cum fructu s. patrum temporibus vige-
rint sincera verbi divini prædicatio, legiti-
musque sacramentorum usus, quamdiu
ministri verbi sanctam inter se charitatem
colerent, condonantes sibi inter se mutuo,
nihilque per contentionem aut inanē glo-
riam facientes. Quum primū verò rixis
ac disidiis obnoxia cœpit esse domus Do-
mini (quæ pacis domus esse debet) en,
quanta omnium rerum perturbatio, quàm
multæ, quàm pugnantes ecclesiarum exsti-
terūt sententiæ! quot tumultus! quot ob-
orta sunt scādala! unde vindicta divina ex-
arsit? unde tam diuturnæ Cimmeriæq; te-
nebræ, unde deniq; omnium rerum con-
fusio?

Testantur id sacræ literæ, testantur vete-
rum historiæ. Sed præterita omittamus: hūc
diem, & nostri temporis punctū perpenda-
mus. Accepimus à majorib. quòd singulari
Dei misericordiâ tempore parentū nostro-
rum è cœlo quasi est revocata veritatis
divinæ prædicatio, & cōtra tot, tãtos, tãmq;
varios hostiū insultus non sine miraculo di-
vinitus cōservata: Quid verò? Illico felix il-
le renascentis euangelii cūrsus multis in lo-
cis est variis disidiis retardatus, atque etiã
eò res (prò dolor) deducta, ut, omnia ad
chaos præteritū redire videãtur. Quæ autem

propagando euangelio major vis obstitit.
 Respondemus verè & constanter cum viris
 pietate & doctrinâ præstantissimis: Non i-
 doli Romani fraudes ac præstigiæ, nō Tur-
 cæ aliorumque in gregem Christi sævitia;
 non sectariorum turbulenti motus: sed uni-
 ca inconsulta contentio, & infelix illud de
 paucis doctrinæ christianæ capitibus dissi-
 idium imprudenter (liceat dicere, quod res
 est) atque infausto sidere primùm inter
 viros, alioquin præstantissimos, concitatū;
 postea verò, ubi videretur sepultum, im-
 probè ab hominibus perversis ex inferis re-
 vocatum, adauctum, ad posteros propaga-
 tum. Hæc, inquam, animorum distractio
 gregem Christi turbat, lacerat, & Antichri-
 storum animos obfirmat.

Quid quæso exitiosius eâ proferre potes?
 hæc veterum vulnerum cicatrices coalesce-
 re non patitur. Quid causæ est, quòd vix ul-
 lus de tot funestis contentionibus semel fi-
 niendis seriò cogitat, cur neque à colloquiis
 ministrorum ecclesiæ quicquam boni spe-
 rari potest? ratio in promptu est. quia desti-
 tuimur viris placidis, mansuetis, piis, pacis
 juxtâ & religionis amantibus, qui, remotâ
 animorum acerbitate, secundùm scripturæ
 factæ normam, dogmata dijudicent, exa-
 minent; sed contrâ suas plerique præcon-
 ceptas opiniones & præjudicia quo vis mo-
 do de-

do defendere conantur, & quod ajunt, olem camino additur.

Quid, quæſo, cauſæ eſt, quòd res ſacræ non tractentur religioſius? quorſum tot annis bellum theologicum inter illos ipſos, qui ſe pacis profitentur internuncios, non modò non deſiit, verùm etiã de die in diem magis efferveſcit? quid quòd còplures theologorum de religione pugnis & rixis ſeſe oblectant? cur jacere videmus languens eccleſiæ corpus? Exſulat charitas, proſtigata eſt æquitas. Nihil videtur plerisque propoſitum, quàm ut litem ex lite ſerant: quaſi ſcilicet veteres turbæ impediendo operi Domini non ſufficiunt ſatis. Quæ verò omnium horum malorum cauſa? quæ origo? quæ nutrimenta? implacabile odium. Unde tot virulentiffimi libelli. Imò verò etiã illa, quæ ſingulariter ad amorem, còcordiam, & conſociationem corporis Chriſti comparata, ad ejus diſſociationem diſſipationemque depravantur.

Hinc fit, ut homines magis magiſq; in mētem judiciæ expertem tradāt: quanto n. ſu-rote apertiffima defendūtur mēdacia! quot damnatoriæ audiuntur ſentētiæ! nullā juſtā ex v̄bo Dei p̄eunte cognitione, nemine audito, multò minùs còvicto: quot voces ipſis potiùs bilis, quàm ratio ſuggerit! quot calumnias! quid continent plurimorum ſcripta

B 3

præter

præter convicia? Utinam ignis Domini illas maledicas chartas absumat! Clamitant, nostros esse, qui Christianas omnes ecclesias, academias, scholas, integra denique regnāturbent, vastent, omniāque lethali damno afficiant.

Quæ verò adduntur tot atrocissimorum criminum probationes? Ingens mendaciorum & calumniarum cumulus. Valet odiū; valvæ concordie non patent. Importuni illi ad populum declamatores nocentiores nos dicunt omnibus sectis ac hereticis; si, quæ ex nostris citent, ea pravo affectu proponunt vel detruncata, vel in alienum sensum detorta: plura subsequuntur convicia: atque hinc fit, ut summa pietatis sit, tribunitiis concionibus & scriptis omnem concordie vim infringere, impudentibus denique mendaciis omnes ab ipsis dissentientes apud imperitam plebem onerare.

Quanta hæc existunt infirmiorū scandala! quanta persecutionum & sevitiæ antichristianæ in viros pios & innocentes incrementa! quæ & quanta tum ecclesiastica tum politica pericula! Istis rixis & conflictibus est charitas fraterna proculcata, pax intestina conturbata; contra Erinnyes furialis attracta & inflammata, omnium ordinum animi sunt dissociati & exulcerati, cōsilia salutaria dissipata, ecclesia Domini domi foris quæ

risque hostibus prodita. Quis vel parum videt, qui hæc non videat? quis bonus, qui non doleat? quis zelo pietatis accensus, qui non assiduè hæc mala defleat?

Longiùs in altum me provexit ista narratio, quàm statueram, sed tantò expeditiùs jam in portum appellam.

Causam vidimus tumultuum, infinito-rumque scandalorum, quibus accensæ & devastatæ sunt nobilissimæ Germaniæ partes: ad privata ergo accedamus. Inest hoc tempore haud obscurum odium, atque id insitum peritus & iniustum animis hominum esse videtur, quocunque te veritas locorum. Quàm paucos mihi daturus es inter ecclesiarum & scholarum antistites, qui cum tolerantia, humanitate, & mansuetudine se sufferant invicem, sincerâ usi dilectione? Peregrinorum quidem hominum atque à fide alienorum delicta perferunt, & gravissima excusant, iis nonnûquam etiam applaudunt: fratribus verò, collegis & aliis ecclesiæ domesticis summè sese exhibent morosos & difficiles atq; implacabiles; quàm pauci student servare unitatem Spiritus, per connexum pacis! quàm pauci veritatem sestantur in charitate vera!

Hinc verò oriuntur dulcissimi evangelii cursus impedimenta: hinc non agnoscuntur illi, qui laborant; hinc opus Domini ja-

cer: hinc est doctrinæ, sacramentorum atq; ecclesiasticæ disciplinæ contemptus; hinc tot, tam gravia, adeoque detestanda existunt scandala, in sacratissimum Dei nomen sacrilegia, adversus ejus veritatem blasphemiarum: publica quies irrita, honestas & modestia apud omnes jacet sepulta, & vix ulla apparet Christianæ religionis facies. Multa sciens & volens prætermitto, quæ lugēt pii, luget Christianus orbis, detestatur veritas.

Ad res publicas accedo, quibus quid beatus excogitari potest, quàm si magistratus & subditi dulcissimo inter se sint connexi charitatis vinculo.

Magistratus Christianâ charitate ornatî nihil præcipitanter aut pravo affectu gerunt, suspicionibus haud indulgent; sed, quantum personæ & res ferunt, imprimis ad Dei gloriam, ecclesiæ conservationem, & proximi salutem omnia publicè & privatim referunt: Utque justitia ac judicium servetur, sibi invicem succurrunt, potestatem & auctoritatem sibi divinitus concessam communi operâ contra hostium conatus tutantur ac defendunt, nihil præter jus ac æquum cogitant. ô exoptatos patriæ patres! ô fidelissimos populi pastores, pacis custodes, justitiæ præsidēs, innocentie vindicēs:

Subditi vicissim de magistratorum suorum functione sentiunt quàm honorificentissimè,

mè, & propensis in eorum observationem animis suam illis obedientiam probant, siue sit edictis patendum, siue tributa solvenda, siue subeunda publica munera atque onera, quæ ad communem spectent defensionem, siue qua alia iussa capeffenda; nihil, ne mortis quidem fugiunt, periculum:

Inter se verò sinceram pacem colunt: exsulant cupiditas, invidia, contentiones, insidiæ; & de privatis & de publicis rebus ipsis cura conjuncta est. Ubique consonans cernitur chorus, dulcissimaque ad publici boni conservationem harmonia.

Hæc mœnibus quod est septum, nunquam vinci expugnariue potest. Hujus autem nunquam satis laudatæ virtutis præfidiis sublatis, quid boni, quid jucundi potest esse reliquum? Magistratus jura omnia, privilegia, judicia, diplomata spernunt ac violant, æquitatem pedibus calcant. nam quod odio tenetur, non quid lex & religio jubeat, sed quid ipse velit, cogitat, non animadvertit, quâ lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur; sed viget libido, invidia, metus, cupiditas. Similiter subditi, si charitatis studium negligatur, datam magistratui fidem negligunt, rejiciunt validissimos rerum publ. nervos, bonas leges & constitutiones: renuunt legitimos magistratuum reditus, vectigalia, reliquaque
civilia

civilia onera; omnes delectat effrenis licentia; excitant seditiones; & nihil differunt à pedibus mutuò sese supplàtantibus, & manibus invicem sese implicantibus ac præter naturam invertentibus. Ab utraque parte geruntur astutè, malitiosè, & per insidias omnia: nihil conspicitur sanctum atque sincerum: quisque vivit, ut vult. Hinc principum & clarissimorum optimè que de republ. meritorum civium cedes: hinc barbaries, universus omnium interitus. neque enim ullus alius odii discordiarumque solet esse exitus.

En ecclesiàrum, scholarum, & rerum publicarum ruinam! Quanta verò rei familiaris ex charitatis neglectu oriantur incommoda, quis tandem enarrare potest? Maritos decet, ut diligant uxores suas, quemadmodum Christus ecclesiam, omni mansuetudine illas sufferant, & alant: omni sanctitate ipsis & reliquis suis domesticis præeant.

Uxorum officium, est, ut debitum maritis suis deferant honorè, & cõjunctis operis ac viribus instituãt liberos & familiã suã in timore Domini, & fide verã.

Liberi, debitã obedientiã & gratitudine parentibus respondebunt: Præterea domini mutuam officiant præstabunt servis, remisissis minis, & quòd justum est, iis exhibebunt.

Contra

Contrà servi auſcultabunt dominis, cum timore ac tremore, cum ſimplicitate cordis, tanquam Chriſto; non ad oculum ſerviētes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes ex animo, quæ vult Deus: cum benevolentia ſervientes, ut Domino, & non hominibus.

Quem verò dabis, qui ſit officii ſui memor, ubi abeſt charitas? equidem omnia ſemper ſuſpecta ſunt atque ſolicita: nulla ſtabilis poteſt eſſe benevolentia fiduciam; nullus etiam Dei timor, nulla fides, nulla pietatis exercitia.

Docent hoc omnium virorum, mulierum, liberorum, dominorum, ſervorum lacrimæ; clamitant templa, ſcholæ, aulae, curiæ, & privatorum ædes: quia exſulat charitatis ſtudium; & contrà paſſim audiuntur contentiones, iræ, calumniæ, ſuſpiciones, eaque ita ſuſcipiuntur, ut facile aboleri nequeant, ſed pertinere videantur ad intimas animorum medullas.

Bruta cum ſui generis animantibus lubenter, mutuam quadam affectione ſociata, coeunt: at homines mutuò ſeſe traducunt atque infamant, mordent, carpunt, non vitiorum, ſed perſonatum odio, lacerant, omnia vitio vertunt, ſuos ſibi nævos, qui æquanimitate communi ferri debent, exprobrant: quid multa? Id agere videntur plurimi, ut omnibus modis ſibi invicem ſint noxii. I-

mò

in tanta litigandi rabie æstuant nonnulli, ut quietem non habeant apud se, nisi cum aliis pugnent: lites, verò ipsas & capitali odiorum acerbitate, & in sanâ vindicâdi nocendiq̃ cupiditate exsequuntur, & implacabili pertinacia usque ad adversarii sui ruinam persequuntur. Hinc tot circumflumus malis, hinc totius orbis bona cernimus diruta, hinc jucundissima societatis humanæ facies omnium existit teterrima.

Tollantur itaque venenata hæc è civitate Christianâ discordiarum tela, & omnia ista potentia extinguetur: deponamus inimicitias; & contra ardeamus amore ecclesiarum, scholarum, & communis omnium parentis patriæ: meminerimus Dei, Christi, & mandatorum ejus, quibus toties sinceram nobis charitatem commendat: haud obliviscamur nostræ & nostrorum salutis.

Imitemur præstantissimos heroes Abrahamum, Lotum, Davidem, Jonathanem, ne quid dicam de ethnicis.

Artemenes & Xerxes, Darii regis filii, amabilissimo charitatis nodo & se & suos conservarunt. Patre namq; Dario mortuo, quidam volebant Artemenem regnare, natu maximum; alii autem Xerxem, ex Atosâ matre Cyri filiâ & Dario jam regnante progenerum. Artamenes ergo descendit ex Medis, non hostiliter, sed quasi ad iudicium quietè:

quietè: Xerxes autem præsens regis obibat
munia. Veniente verò fratre, posito diade-
mate, demissaque tiara, quam re Ætam fere-
bant reges, obviam illi processit, eumq; est
amplexus. & mittens illi dona jusfit eos, qui
ferebant, dicere: *his te nunc honorat Xerxes*
frater; si verò rex iudicio calculoq; Persarum
fuerit declaratus, dat tibi, ut secundus sis post
ipsum.

Artemenes: Ego verò, inquit, dona suscipio,
Persarum regnum mihi arbitror covenire, ho-
norem post me fratribus conservabo, Xerxi au-
tem primo fratrum. Posteaquam ira que ju-
diciu instabat, Persę Artabanū, vel Atta-
phernem Darii fratrem, declaravit ipis ju-
dicem: hic pronunciauit regnum Xerxi cõ-
petere. Artemenes statim exilivit, fratrem
adoravit, dexteráque apprehensum in regi-
um collocavit thronum.

En ethnicorum barbarorumque fratrum
dijudicationem, nõ de agri portiunculâ, ne-
que de mancipiis aut oviculis factam. Po-
namus item ante oculos Pythagoricos, qui
quum neque cognati neque affines inter se,
sed ejusdem duntaxat sint philosophiæ se-
ctatores, si quando irâ commoti ad mutua
convitia processissent, ante solis occasum
dextris invicem datis, exosculati que se mu-
tuò rem composuerunt, & rem omniũ co-
gitationis dignam! Exemplo nobis sit So-

eraticus Euclides, qui ad se nefariam vocem
 dicenti, Dispercam, nisi te ulciscar: Ego au-
 tem, responderet, nisi tibi persuasero, ut ab ita
 desistas, meque ames, sicut prius amabas.
 En quid dulcius? quid salutaris? Sectetur,
 qui volent, aut aurum aut argentum: dele-
 ctent alios signa, tabule, ædificia magnifi-
 ca; circumfluant alii omnibus copiis, nos
 firma, stabilia, ac salutaria sectemur, iis stu-
 deamus, illa exerceamus optimis in rebus.

Plus apud nos valeat optima & pulcher-
 rima vitæ supellex charitas, quæ à Deo ho-
 minibus benignè est cõmunicata, quæ pro-
 ximè ad naturam accedit humanam, cujus
 beneficio viri magni in cælum videntur as-
 cendere, cujus usus denique non minor
 inter homines quàm panis, aquæ, solis &
 aëris. nulla namque vitæ pars charitate va-
 care potest; in ea colendâ sita vitæ salus o-
 mnis est; in eâ insunt, quæ putant homines
 experenda, honestas, gloria, tranquillitas
 animi atque iucunditas. Charitate qui mu-
 nitus est, quid non est adeptus, quod homi-
 ni optare fas est? in ea positæ sunt veræ cer-
 tissimæque divitiæ. Ea quâ adest, beata vita
 est; sine eâ vita nulla vitalis esse potest.

Videor mihi de charitate, quid sentirem
 potissimè, dixisse. Cujus studium ut in no-
 bis acuat, semper in auribus nostris reso-
 net illud Christi Johan. 13. 34. Præceptum
 novum

novum de vobis, ut alii alios diligatis, sicut, inquam, dilexi vos, ut vos etiam diligatis alii alios. Ex hoc omnes agnoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios: atque illud apostoli Rom 13.10.12.13. Nemini quicquam debeo, nisi hoc, ut alii alios diligatis.

Te autem, Christe Jesu, fili Dei, qui solus omnia agis in omnibus, in Paulo plantas, in Apollo rigas, per te ipsum das incrementum, oramus, ut nos regas, pro tua gratia, Spiritu tuo sicut, quæ tibi placent, audiamus, discamus, doceamus, faciamus. Gratiarum tibi agimus, quod nobis dederis benevolos ecclesiæ nutritios: deinde fidos & pios verbi tui doctores: pios item & sedulos eloquiorum tuorum auditores. Conserva hospitium ecclesiæ tuæ apud nos. Excita perpetuò viros pietate, virtute, & prudentiâ valentes, qui gubernacula reipub. feliciter dirigant. Erudi tuos servos, ut conjunctis animis & viribus, quæ sunt tibi grata & ecclesiæ tradant. Illumina auditores, ut omnes & singuli videantur fundus à Spiritu tuo præparatus. Tuere ac defende gemetes sub cruce, atque universam ecclesiam tuam ab omni hostium dolo, perfidiâ, tyrannide ac malitiâ. Ne subtrahes nobis verbum tuum, & Spiritum tuum ne auferas à nobis. Consoilate & confirma, quotquot animo vel corpore


pore

pote affliguntur. Si quæ tempestates pu-
 blicarum cladum & calamitatum orbem
 Christianum involuturæ & oppressuræ eas
 discute ac depelle. Omnium mentibus tuo
 Spiritu consilia & studia pacis aspira, ut sa-
 crosanctum tuum nomen cōcordibus vo-
 tis, invocemus. Excita & conserva, qui bene
 velint & faciant vineę tuæ, hīc & alibi: be-
 nedicetiam posteritati eorum qui salutari-
 bus consiliis atque operis eam exornant: fac
 ut perseveremus in omni bono & tuum
 nomen prædicemus, ut in his atque aliis
 regionibus numerosa tibi ecclesia colliga-
 tur, quæ te rectè agnoscat & colat, donec
 nos ad te in cœlestem patriam assumas.

Tibi sit laus & gloria æternum:

Amen.





Small, rectangular, light-colored paper label affixed to the upper right corner of the book cover. The text on the label is illegible due to the image quality.

